



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Titulus XVI. De Deposito.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

# TITULUS XVI.

## DE DEPOSITO.

### SUMMARIUM.

1. *Depositarius re deposita utens, invito domino, furtum committit.*
2. *Neque tamen Ecclesia, aut monasterium obligatur, si quod depositum est apud Canonicum, aut Religiosum v. g. cum licentia Prælati, pariat, nisi in quantum in utilitatem monasterij, aut Ecclesia versum est.*
3. *Obligatur tamen, si Prælati cum Capitulo depositum accepit.*
4. *Potest Clericus torture subijci etiam in causa depositi conrectati, & juxta consuetudinem, etiam per Laicos ex mandato, & auctoritate Prælati.*

**N**otandum primum. Si quis re apud se deposita, Domino invito, utatur, v. g. sacculum argento plenum resignet, aut pecuniam expendat, furtum committere censetur L. 3. *Cod. depositi*, L. *si sacculum* 29. ff. *codem*. & docui *Lib. 3. tra. 4. c. 25. n. 3.* & qui eo nomine condemnatur, infamis efficitur L. *qui depositum* 10. *Cod. eodem*.

Notandum secundum. Si quid penes Canonicum, aut Religiosum depositum sit, & dolo ejus perditum, aut deterius factum sit, Ecclesia, aut monasterium non obligatur, nisi quatenus ad Ecclesiam aliquid pervenit, sive in rem, utilitatemque ipsius versum fuit. Ita sumitur *ex hoc c. & tradit Gl. recepta hic. V. utilitatem*. Priorem partem notandi rectè ampliat *Mol. tra. 2. disp. 525.* tamen Clericus, vel Religiosus cum consensu Prælati sui depositum accepisset, Ecclesiam seu monasterium non obligari, quemadmodum nec obligaretur, si Prælati ipsemet absque Capituli consensu accepisset; nam delictum personæ non debet in Ecclesiæ detrimentum redundare, *regula 76. in c.* Cùm itaque depositarius

li ; non

**H**ic etiam est contractus dominij non translativus, qui non solo consensu, sed rei traditione perficitur. Quare ipsum vocabulum dationem significat, quemadmodum & mutuum, commodatum &c. de quibus dixi *lib. 3. tra. 4. c. 3. n. 2.* Differt autem Depositum à Commodato, & Precario tum in alijs, tum in eo maxime, quod contractus Commodati, & Precarij instituntur ob gratiam accipientis. At verò Depositum ob gratiam dantis, seu deponentis.

### CAPITULUM I.

#### Gravis &c.

#### PARAPHRASIS.

Episcopus Londonensis pecuniæ summam deposuit penes Canonicum, qui ob iniquitatem ab Alex. III. hinc Belial appellatur, qui pecuniam contrectavit, & subripuit. Hoc in casu respondit Papa, contra Canonicos ejusdem Ecclesiæ agi non posse ad restitutionem pecuniæ, cum non constet, eam in utilitatem Ecclesiæ convertam fuisse, & pecuniâ illa personæ, non autem Ecclesiæ fuerit commendata, sed in ipsum furem sive Belial, actio intentari debet; quocirca Pontifex iudicibus quibusdam mandat, ut iniquum illum questionibus subijciant etiam vinculis, si opus esse videatur, alligatum, ut ea ratione pecuniam surreptam restituere compellatur. Sin autem Episcopus cum Canonicis amicabiliter convenire possit, circa reditum aliquam perceptionem, id gratum sibi fore Pontifex ait,



non teneatur ex deposito, nisi de dolo, aut culpa lata, quæ dolus præsumptus dicitur, ut in c. sequente declarabitur, sequitur hinc, quod Ecclesia ratione depositi accepti à Præfato, Religioso, aut Clerico non obligetur. Ita etiam docui in cit. c. 25. n. 6.

Alteram partem notandi tradidi eodem tra. 4. c. 27. §. quod ad alterum. Si persona in potestate constituta contraxerit, videl. servus, filiusfamilias, aut Religiosus, v. g. mutuum, aut depositum acceperit, dominum, patrem, vel monasterium non obligari, nisi quatenus ad ipsum pervenit, sive in rem, aut utilitatem ejus versum fuit, quæ de re videatur lex 1. & L. 3. §. in rem autem, & tot. tit. ff. de in rem verso.

Notandum tertium. Si ipsa Ecclesia, v. g. Præfatus cum Capitulo seu Conventu depositum accipiat, obligatur Ecclesia, Ita Gl. finalis communiter recepta, nam Præfatus & Capitulum Ecclesiam repræsentat, ait Abbas hic n. 10, ex c. requisivisti 15. de testamentis juncto c. scire 7. causâ 7. q. 1. Neque tenetur alter in hoc casu aliter probare pecuniam, aliâve rem depositam à se, versam fuisse in utilitatem Ecclesiæ, cum id jure cautum non reperitur, sicuti in mutui contractu, prout docui cit. tra. 4. e. 15. n. 6. & tradit Innoc. hic Mol. tra. 2. disp. 300. n. 2. licet aliam theoriam afferat Abb. in fine c.

Notandum quartò, Clericus torturæ subijci potest, etiam in causa depositi contractati. Ita habetur in hoc c. nam imprimis, quod Clerici etiam Sacerdotes, si de crimine gravi suspecti sint, ita, ut legitima de ijs indicia habeantur, torqueri possint, tradunt doctores communiter in c. cum in contemplatione de regulis juris. Salzedo in practica criminali cap. 129. Clarus in practica q. 64. n. 24. Tamen verò plerique id dicant, idque juri conforme esse videatur, Clericum torquendum non esse, nisi præcedente infamia, tamen id consuetudine non observari testatur Clarus ibidem, cum etiam alia indicia, v. g. unus testis, omni exceptione major, sufficere possint, quod et-

tiam Abb. hic tenet n. 6. præterea, sicut plerique dicant, Clericum per Laicum non esse torquendum, tamen contrarium per consuetudinem observatur, ut ex præcepto Præfati v. g. Episcopi, Clerici de criminibus suspecti, per Laicos torqueantur. Prout in eadem practica criminali Canonica c. 111. & apud Clarum n. 25. videre licet. Cujus rationem dat Abb. in c. universitatis n. de sententia excommunicationis, quia Clerici secundum præsentis temporis consuetudinem eo modo torquentur, quo Laici, igitur solis Laicos torquendi ratio nota, & consueta sit, nisi per Laicos Clerici torqueri possent, torturæ Clericorum locus inquam foret, Opus tamen est, ut iudex Ecclesiasticus ordinarius, aut delegatus ius sit, & auctoritatem torturæ conferat, & que dirigat, ac moderetur, sicuti Abb. in L. post Gl. notat. Intellige autem hæc, quod persona Ecclesiastica jubere, & auctoritatem præstare possit, ut Clerici, imò etiam Laici, in crimine Ecclesiasticæ jurisdictionis, v. g. hæresis, torqueantur in foro, & iudicio Ecclesiastico, non autem in sæculari, in quo processus instituitur ad sanguinis penam, quia secutâ morte, aut mutilatione membri irregularitas incurreretur à Clerico iudice, per torturam exprimente confessionem criminis, sicuti dicitur in c. penult. ne Clerici vel Monachi &c.

Obijcit contra hoc notandum: in casu civili, aut pecuniari non potest homo liber torqueri, prout ex communi tradit Clarus cit. q. 64. Farinacius in practica q. 45. n. 9. qui etiam testantur, torturam non posse inferri, nisi in criminibus, quibus pena corporalis decreta est; cum enim tortura sit gravis afflictio corporis, irrationabile est, eam adhiberi homini nondum confessio criminis, neque convictio, quando etiam confessus, aut convictus, & condemnatus esset, penam corporalem non sustineret. Atqui in casu hujus c. agebatur civilis causa depositi, ergo non poterat adhiberi tortura. De hac re late disputat Farin. cit. lo. n. 30. Solutio autem esse debet, quod



## SUMMARIUM.

1. Quando sit præsumptio de dolo in contractu depositi?
2. In quibus casibus depositarius de culpa etiam obligetur?
3. Compensatio pro alio debito in contractu depositi locum non habet.

Notandum primum. Præsumptio est de dolo commissio adversus depositarium, vel custodem, si dicat res depositas apud se amissas, vel ablatas esse, cum tamen res propriæ in eodem loco existentes salvæ manserint. Adde, si dicatur, depositum, aut pignus casu fortuito amissum esse, nisi de facto v.g. incendio domûs, hostium irruptione &c. constet, asserenti probationem incumbere, sicuti habetur in *L. si creditor §. C. de pignoratitia actione*, & tradit *Gl. receptam §. finali Inst. quibus modis re contrahitur obligatio*. Sin autem constet de facto, illudve probatum sit, dubium verò, an culpa, vel dolus intervenerit depositarij, custodis, aut commodatarij, cuinam probatio imponi debeat? Respondetur, cum *Gl. marg. in cit. §. finali Bartolo in L. si quis ex argentarijs. §. an verò n. 4. ff. de edendo*, esse distinguendum: nam aliqui sunt casus fortuiti, qui non facile eveniunt sine culpa, ut furtum, incendium &c. in his præsumitur culpa, nisi probetur casus. Sed alia ratio esse videtur de dolo, is enim non præsumentus, nisi conjecturæ ad sint, quia v.g. res propriæ salvæ manserunt, depositarij amissis. Sicuti hic dicitur, & in *L. quod Nerva 32. ff. de positi*. Ubi habetur, dolum præsumi, si quis in rebus suis custodiendis diligens sit, ac verò in alienis depositis negligens. Aliqui verò sunt casus fortuiti, qui regulariter evenire solent sine culpa, ut vis hostium, impetus aquarum, fulminis ictus; in his præsumitur casus, donec probetur culpa, aut dolus. Vide, quæ docui *lib. 3. tra. 4. c. 7. ad finem*.

Notandum secundum, Depositarius non obligatur ad resarciendum, si res apud ipsum deposita ipsius culpâ perijt, aut deterior redita fuit, nisi culpa crassa sit, & ideo te-

CRA-

assa ista depositi licet secundum se civilis sit, tamen per negationem, ac detentionem rei fiat criminalis, videl. furti constitutio: quam ob rem, si summa pecunie magna fuit, tortura adhiberi poterat Clerico, præsertim illo tempore, cum tortura non ita infamaret, neque à personis laicis, ac civilibus inferretur. Tamen verò ex mandato Papæ criminaliter ageretur, sicuti iam dixi, tamen etiam eò tendebat processus, ut injustè detenta, vel subrepta restituerentur, sicuti apparet ex hoc c. & videri possunt, quæ docui *lib. 3. tra. 6. c. 1. n. 4.*

6. Notandum quintò, Ecclesiasticus magistratus Clericum capere, & vinculis constringere potest per ministros Laicos, idque non tantum in causa criminali *c. ut fama §. de sententia excommunicationis*, sed etiam in causa pecuniaria, si ob fugam, aut contumaciam ad satisfactionem, quam possit facere, aliter adigi nequeat. Ita luminatur ex hoc c. & c. *dilectis §. de appellationibus*. Et tradit hic *Abb. n. 7. Passecius in praxi Episcopali p. 2. c. 4. n. 1. Paulinus Bertius in praxi criminali tit. 28. c. 6. n. 14.*

## CAPITULUM II.

## Bona fides.

## PARAPHRASIS.

Non bona fide depositarius egisse præsumitur, si rebus proprijs salvis ex, quæ depositæ apud ipsum fuerunt, amissæ reperiantur. De culpa depositarius tunc tenetur, si se ipsum deposito obtulit, vel si pro custodia quidpiam recipit; pacto autem, de culpa, vel morâ antecedente, etiam casus fortuitus præstandus est. Porro deponenti integrum est depositum, cum voluerit revocare, neque compensationi, aut deductioni propter aliud debitum locus esse potest, ne alioquin contractus, qui ex bona fide oritur, ad perfidiam trahatur. Tamen in alijs contractibus compensationi locus sit, si causa, ex qua quidpiam postulat, liquida, & non disputabilis sit.



cundum præsumptionem dolus abfuisse non censetur. Ita hic, & in L. 1. §. si quis servum ff. depositi junctâ l. quod Nerva cir. explicavique latius lib. 3. tra. 4. c. 25.

Excipiuntur verò duo casus, in quibus depositarius etiam de culpa saltem levi tenetur. Primus, si se ipsum deposito obtulit; tunc enim majorem seu diligentiorum custodiam spondere censetur. Secundus, si merces intervenit; tunc enim contractus gratiâ utriusque contrahentis celebratur, & transit in locationem, in qua culpa etiam levis præstanda venit, juxta L. 1. §. si quis servum ff. depositi.

Notandum tertium. Tres casus sunt, in quibus depositarius casum etiam fortuitum

præstare debet; pactum, culpa crassa, & mora antecedens. De hoc dixi in c. nuda commodato.

Notandum quartum. Contractus depositi magnam in depositario fidem postulat quam ob rem compensatio, vel deductio pro alio debito, alteri usve actionis opposita exceptio suffragari non potest, quo minus rei depositæ restitutio fieri debeat, ut dicitur, & in L. si quis 11. Cod. hoc tit. ult. l. de compensationibus. & docui lib. 3. tra. 2. c. 9. n. 10. Ubi tamen limitari hæc doctrinam, si debitum liquidum alio modo consequi non possit depositarius, saltem in conscientie foro l'icitum esse, rem depositam interim retinere, donec sibi satisfiat.

## TITULUS XVII.

### DE EMPTIONE, ET VENDITIONE



ACTUM fuit supra de contractu instituto in gratiam accipientis tantum; deinde de contractu instituto in gratiam dantis duntaxat; sequitur, ut dicatur de contractibus in gratiam utriusque contrahentis celebrari solitis, inter quos præcipuus est Emptio, ac Venditio.

#### CAPITVLVM I.

#### Placuit.

#### PARAPHRASIS.

Presbyteri, seu Plebani plebes suas admonere debent, ut se hospitales præbeant, atque humanitatem exerceant erga peregrinos; neque carius ipsis vendant ea, quibus indigent, quam in mercatu vendere possunt.

#### SUMMARIUM.

1. Res præsertim ad victum necessaria,

justo pretio vendi debent tam indigenis, quam extraneis.

2. Cogi possunt, qui his abundant, tempore necessitatis ad ea vendenda, & expendenda.

Notandum. Merces maxime ex, quæ ad victum, vestitum, & habitationem necessariae sunt, justo pretio vendi debent, non tantum indigenis, sed etiam extraneis. De hac re dixi lib. 3. tra. 4. c. 17. §. 1. c. n. 34. Videri potest S. Thom. 2. 2. q. 77. a. 1. Covar. lib. 3. resolutionum c. 14. Abb. hic n. 6. ubi ait, quod in his, quæ sunt necessariae ad vitam hominis, Superior statueret potest justum pretium, quia pertinet ad Superiorem providere necessitatibus subditorum, ac publicæ; quare etiam in domibus aptis ad locandum, in pannis, ac similibus, pretium taxari potest secundum Bartolum in L. 1. c. de Episcopali audientia.

Uterius ait Abb. cir. lo. tempore necessitatis, atque inopia eos, qui vino, frumento, & alijs ad vitam necessarijs rebus abundant, non tantum cogi posse ad vendendum,